DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

PHANTASIAE USU, LUSU ET ABUSU IN MEDICINA,

QUAM

ANNUENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRAESIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA, FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO OMNI OBSERVANTIA COLENDO,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS.

D. XXIX. AUG. MDCCXXII.

PUBLICÆ VENTILATIONI SUBMITTET,

CHRISTIANUS GOTTOFREDUS Behrisch

DRESDENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

CUI POTIUS QUAM PARENTI
JUXTA PUBLICAM REM,
ME ET FRATRES
CURANTI, SERVANTI

HIERONYMO GOTTOFREDO BEHRISCHIO,

PER LI. ANNORUM DECURSUM
CIVITATIS DRESDÆ,
VICISSITUDINES AULÆ
SERENISSIMORUM DUCUM ELECTORUM SAXONUM,
QUATER EXPERTAE, EMENSAE,
JAM ET GLORIÆ MAJESTATIS REGIÆ OBSEQUIOSÆ
SYNDICO,
DEO DANTE, NONDUM DEFATIGATO
DISSERTATIONEM HANC, IN PANEGYRI
ACADEMIAE HALENSIS.

Apprimæ jam florentis, defensam,
Dem, dicam, dedicem?
Do ergo, TIBI, Mi PARENS devote
Cum Voto ulterioris TUÆ felicitatis:
Dico grato animo, pro educatione
Tam solicita & provide indulgenti;
Dedico, cum suspirio ad DEUM ardenti
Ut mores, quibus ab
Avo, viro ut refertur benefico & singularis sagacitatis,
Patre probo docto & justi tenaci,
Assuetus es
Ad nepotes quoque & qui ab illis nascentur
Transcendant perennent,
Ne illis, ut DEUM verentibus,
Nec porro desit quippiam!
Filius Tuus

CHRISTIANUS GOTTOFREDUS.



PROOEMIUM.



Uando commercium animæ cum corpore *Plato* quadantenus exponere ſuſcipit, tunc *Lib. 3. de Republ.* dicit *mihi quidem non videtur bene affectum corpus, vi ſua bonum animum facere, ſed contra bene affectus animus, vi ſua corpus, quoad fieri poteſt, optimum reddere:* quod enim anima cum corpore multis modis, imo indies communicet, forte paſſim abunde a multis demonſtratum fuit; quod etiam energia animæ in ſuum corpus præpotens ſit, viciſſim copioſa confirmant teſtimonia, quare in Philoſophia æque ac Medicina utile & neceſſarium opus eſt, quando animæ activitas in habitaculum ſuum rite & perſpicue enucleatur & quando inde pendentes diverſæ alterationes ſolide ac ingenue explicantur: *grave enim periculum eſt, animam negligere*, dixit idem *Plato:* quantum vero ſæpe animus in indagatione rerum & circumſtantiarum

utilium a veritate diſcedat & falſis contemplationibus, figmentis ac opinionibus operam det, perinde quotidiana obſervatio teſtatur: quare cum *Lactantio* aſſerimus, quod *primus ſapientiæ gradus ſit, falſa intelligere & ſecundus, vera cognoſcere*: etenim in multarum rerum inquiſitione, mira ſibi concipit animus, quæ tamen cum iisdem rebus haud conveniunt, quare ſpurios tales conceptus a rationali, prudenti, judicioſa & vera deliberatione exacte diſcernere expedit: ita enim *Philo* in loco *de abrahamo* confeſſus eſt, quod *animus ſit quaſi θαυματοποιὸς hiſtrio inviſibilis*, qui lepida ratione interdum componit dividenda & dividit componenda, adeoque monſtra parit: & ita μετὰ πολλῆς φαντασίας animus ſæpe cum rebus ſcientificis procedit, ubi illa, quæ ex vero indagare & demonſtrare haud poteſt, cum operoſa phantaſia fingit & pro vero nonnunquam proponit: quare *Quintilianus lib. 6. c. 3.* dicit: *quas φαντασίας Græci vocant, nos ſane viſiones appellamus, per quas imagines rerum abſentium ita repræſentantur animo, ut eas oculis cernere ac præſentes habere videamur: has quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentiſſimus; hunc quidem dicunt εὐφαντασίωτον, qui ſibi res, voces, actus ſecundum verum optime fingit*: eadem ratione nonnulli Rhetores Phantaſiam vocant conceptum mentis, qui fingitur de aliqua re, qui tamen in ipſa re non adeſt: *conf. Voſſius lib. 6. Inſtit. orat.* tanta luxurie & vagabunda activitate interdum anima cum phantaſia procedit, quando veritati ſtudere debet: & licet in variis caſibus providus ingenii uſus non rejiciatur, tamen magna cura vigilandum eſt, ne perverſi &

ſi & vani luſus, auſus & abuſus cum Phantaſia committantur, qui deinde ſperatam veritatem & deſideratam utilitatem magis opprimunt, ut de tali ſiniſtro uſu ingenii illud *Senecæ de Providentia c. 4.* valeat: *movet cerebrum, in vanas mentem imagines evocat, multum inter falſum & verum mediæ caliginis fundit* & quod confirmat *Plutarchus de profectu virtutum: ingenium ſemper aliquo citatum motu, ac veluti in trutina ſitum, nunquam non momento aut ad meliora facto fertur, aut in diverſam partem ad mala exitioſe impellitur: conf. Seneca Ep. 8.* dum itaque in tales errores adeo prona eſt anima cum phantaſia, imo dum in multis ſubjectis hoc ingenium admodum agile, præceps & inconſtans eſt, ita ſincerus phantaſiæ uſus in omni diſciplina inculcari & commendari debet: neque quidem hoc loco de ſubtili illa imaginationis efficacia loquimur, quæ perinde multorum monſtrorum architecta & mater eſt, ſed potius diſſerimus de illo deliberato & arbitrario uſu phantaſiæ in rerum indagatione & ſcientifica explicatione, qualem uſum admodum ſuccinctum & providum commendamus, & ſicut *Seneca in Conſol. ad Marciam c. 23.* dixit, *ingenia quo illuſtriora eo breviora*, quod idem eſt, ac illud in vernacula cognitum **Kluge Kinder ſterben bald, oder werden nicht alt:** uti *Cato Cenſorinus* dixit: *ſenilis juventus, prænaturæ mortis ſignum eſt, conf. Plinius lib. 1. c. 51. Rejeſius Camp. Elyſ. qu. 78. n. 14.* ita nos ſub alia interpretatione, dicimus, ingenium (i. e. phantaſia) quo illuſtrius, eo brevius eſt, quod idem eſt ac ſi dixerimus in eruendis veritatibus & proponendis ſolidis demonſtrationibus non diu phanta-

fiæ ſtudendum & inhærendum eſt, quoniam illa ex philavtia, in quam facile incidit, variis erroribus committendis idonea eſt: ſeducit enim illa ad varias ſteriles & lepidas curioſitates, ſub maximo negotio, tamen verſatur in otio, invenit ſæpe qualitates indemonſtrativas & falſas, ſupponit res, quæ deinde nuda entia rationis, imo non entia ſunt, tractat aliquando de quibusdam ſubjectis ita nitide & lepide, ut innocentes & molles mentes ſubito occæcet, ſed eo ipſo etiam veras conſiderationes corrumpit & cum falſis & perverſis explicationibus confundit, ſubinde ingenuam illarum rerum utilitatem deſtruit; interdum quidem implicata extricat, ſed aliquando iterum extricata implicat, ut niſi valde circumſpecte tractetur, citius damnum, quam commodum pariat: talis eſt facies phantaſiæ in multis negotiis, ut propterea varii ſtupendos effectus eidem imputare non ſint veriti, cujus rei mentio facta fuit in Diſſertationibus de *Valetudinariis imaginariis & de Therapia Imaginaria*: quid emolumenti, quidve nocumenti uſus, luſus & abuſus phantaſiæ in Phyſica, Mechanica, Anatomia & Chymia afferat, illos haud latet, qui ante præmaturum & præcipitatum judicium aut præjudicium omnes circumſtantias provide & ſolide perſcrutantur, neque de eo contenti ſunt, quando, ne nihil dixiſſe videantur, pro lubitu ſibi abſconditas res concipiunt: haud enim ignorantia eſt, ignorantiam confiteri, quoniam multarum rerum cognitio captum & vires hominis ſuperat; unde conſultius eſt, illam ignorantiam, quæ corrigi non poteſt, ingenue confiteri, quam fucatam Panſophiam

affe-

affectare & falſa veris immiſcere : ſicut enim ſecundum *Auguſtinum de civit. Dei. lib. 22. Morborum genera non omnia in medicorum libris ſunt comprehenſa*, ita ſecundum *Galenum de atra: bile non omnium morborum cauſæ & qualitates, medicorum animis ſunt inſcriptæ :* & poſſumus ſub juſta & reſervata limitatione cum *Celſo* conſentire, qui dixit *nihil in medicina adeo certum eſt, quam nihil certum :* propterea vero non decet omnia pro fabulis æſtimare, alias illud *Rejeſit p. 818.* valet : *qui omnia pro fabulis habet, ipſe ſe fabulam facit ;* quantas vero fabulas concipiat & pariat phantaſia, neminem facile latere poteſt, unde omnibus hominibus familiare eſt, etiam noctu talia phaſmata ſub ſomno experiri ; quantus porro luxus, auſus, uſus, luſus & abuſus præter omnem neceſſitatem & utilitatem interdum committatur cum phantaſia, a diverſis hominibus, qui alias cum hac operatione mentis admodum exercitati & operoſi exiſtunt, die ſich leicht eine Sache einbilden können, aut qui cum ſemel ſuſcepta imaginatione valde contumaces ſunt, uti prioris indolis ſanguinei, poſterioris vero melancholici temperamenti homines ſunt, id ſane quotidiana obſervatio affatim comprobat : nos hoc loco minime extra ſphæram ſpatiari volumus ; id tantum attentæ & prudenti deliberationi ſubjicimus, quantum miniſterium Phantaſiæ in Medicina valeat, in qua multa præfigurantur, quæ in rerum natura non deprehenduntur ; ubi etiam varia ex phantaſia in uſum trahuntur, quæ modo craſſa ignorantia, alibi fœda ſuperſtitione, interdum lepida opinione, quandoque ſordida philavtia, nonnunquam cæca Em-

 piria,

piria, aliquando præjudicioſa hypotheſi nituntur, ut facile liqueat, quomodo ſatis ſæpe hæc phantaſia in foro Medico ſcoparum vices ſubire debeat, quando variæ inconvenientes ideæ corraduntur & ex hac quisquiliarum & palearum maſſa pompoſa multisque phantaſmatum coloribus exornata theoria conſtruitur: ne itaque tam ſacræ tamque ingenuæ veritati tanta inexcuſabilis vis & injuria inferatur, dignum omnino nobis videtur negotium, quo verus & ingenuus uſus Phantaſiæ in Medicina indicetur & commendetur, nocivus vero vicisſim abuſus exponatur & expellatur: & dum nobis hoc loco incumbit Inaugurali aliquo ſpecimine utile quoddam thema Medicum prodere & proponere, ita nobiscum conſtituimus nonnulla DE USU LUSU ET ABUSU PHANTASIÆ IN MEDICINA monere & explicare, quo inutiles contemplationes theoreticæ & auſus practici evitentur, veritas vero viciſſim & certitudo in Medicina in ſincera ſua integritate conſervetur. Annuat itaque DEUS Benigniſſimus noſtro propoſito gratia ſua, ut exoptatum ſcopum, DEO acceptum & proximo ſalubrem, largo fructu impetret.

§. I.

ET ita Sermo noſter verſatur circa *Uſum*, *Luſum* & *Abuſum Phantaſiæ* in *Medicina!* priusquam vero rem ipſam proponamus, brevibus annotabimus, quid *titulus* contineat & promittat: de *Phantaſia* præcipue *nonnullas* animadverſiones, quæ ad ſcopum *medicum* ſpectant, commendabimus:

bimus: quid per hanc intelligamus, non necesse erit multum describere, quoniam cum *vulgari* illius acceptione consentimus: est itaque nobis in *diversa* notione *Phantasia*, *ingenium*, *imaginatio*, *præfiguratio*, *cogitatio repræsentativa* unum idemque, dum cum hac operatione anima cum *talibus* ideis satis *strenue*, aliquando plane *tenaciter* occupata est, quas sub exquisitis *figuris*, utplurimum vel *acceptis*, vel *adversis* format, reformat, tractat, volutat & concipit, unde recte in vernacula dicitur eine Einbildung/ ubi anima tale subjectum *visibile intrinsecus* sibi præfigurat, iterumque *repræsentat*: de hac Phantasia in *duplici subjecto* hoc loco nobis differendum erit, in quantum videlicet *Medicus* artifex *suam* Phantasiam applicat, in *cognoscendis* & explicandis rebus ad *suum* negotium pertinentibus, in *inveniendis* nonnullis methodis, quibus cum emolumento in sua *praxi* uti potest, in *excogitandis* quibusdam *honestis* stratagematibus, quibus aliquando indiget in ægrotantibus *sensibilibus*, delicatis & cum multa *phantasia* perinde operosis: deinde idem artifex aliquando commercium habet, cum *phantasia ægrotantis*, qua utitur ad impetrandos *salutares* effectus, cui quandoque *moderatur*, ne *reliquæ* Therapiæ perniciosas *offensas* inferat, quam aliquando *allicit* & provocat, quo *connexi* necessarii motus *una* excitentur & revocentur: exinde liquet, quam *multiplex* occasio occurrat, qua circa *Phantasiæ directionem* in *medicina* prudens *Therapevta* versari debet: hujus *Phantasiæ* itaque *verum*, *licitum*, *honestum*, *efficacem* & *salubrem* usum in foro medico indicabimus: proinde quidem una monebimus, quales *Lusus* cum eadem in *Medicina* interdum committantur, i. e. quam *jucundæ* & *ridiculæ* interdum actiones *phantasiæ* ad *utiles* effectus provocandos inserviant, imo quomodo nonnunquam *talia* negotia cum *phantasia* suscipiantur, quæ quidem *veritati* non penitus repugnant, sed quæ *evidentem utilitatem* haud promittunt, sed quæ potius *superfluæ* adeoque *molestæ* sunt; quod denique *Abusum* concer-

cer-

cernit, tunc ille admodum *frequens* in foro medico potius *præoccupandus* & explodendus erit, ne & *veritati* medicæ & *salubritati* patientis noxam inferat: & hic *Abusus* consistit in *illa phantasiæ* applicatione, quæ circa res *fictas*, *falsas*, adeoque *inutiles* & *noxias* versatur, quæ tamen sibi *persuadet*, ac illa negotia, quæ sub tali abusu committuntur, *necessaria* & *utilia* existant, cum tamen exinde varia *detrimenta* oriantur, quæ attentis & a *præjudicio* liberis subjectis facile innotescunt: ne itaque in *Medicina* Phantasiæ *nimium* tribuatur & inhæreatur, eapropter *reliquæ* facultates animæ *conciliandæ* sunt, ita ut *omnes* circumstantiæ bene *comparentur* & prudenter *dijudicentur*, *salubres* & *insalubres* successus & effectus memori mente teneantur & assidue *conferantur*, adeoque omnia negotia cum fundata & ingenua *ratione* tractentur: enim vero cum in foro *medico multa* occurrant, quæ *sensus* valde afficiunt, ita facile phantasia illis *irretita* tenebitur, quo magis *externas* rerum qualitates perlustret: ita enim *Physica* & Regnum Naturæ *tantam* supellectilem subjectorum subministrat, ut varia *circa*, *ante* & *infra* nos extent, quæ *oculos* allicere possunt: hinc *Botanica* & *Materia Medica*, non minus *Musea curiosa*, proinde *Anatomia*, *Chymia* tam *pharmaceutica*, quam *Metallurgica*, multa subjecta & producta *sensibus* nostris subjiciunt, ut *curiosa* phantasia perpetuæ *servituti* addicere & in *splendidum* ac speciosum tale promptuarium totam se immergere facile valeat; inde oriuntur *mancipia Phantasiæ*, quæ in foro medico *nihil rectum* esse putant, quod non cum *Phantasia* comprehendi potest: & dum nonnulli mediante *Phantasia perspicuum* conceptum prosequuntur, evenit inde, ut in eximiam *confusionem*, *incertitudinem* & *obscuritatem* incidant: quare invigilandum est, ne *verus* & *sincerus* Phantasiæ *usus*, in *sterilem lusum*, aut *perniciosum abusum* immutetur.

§. II.

Sed ne nos ipsi *censura* quadam digni videamur

dum

dum accusari queamus, quasi præsenti labore *nodum* in *scirpo* quæreremus & rem *otiosam* tractaremus, ita nunc necesse erit, quo hanc nostram considerationem *vindicemus*, illiusque *utilitatem* in *Medicina* indicemus: verum enim vero licet hoc themate diversos *nævos* & *steriles* occupationes in Medicina significemus, tamen hic labor *illum scopum* habet, quo *inutiles* & perniciosæ tales occupationes Phantasiæ e foro medico *proscribantur* & *Theoria* æque ac *Praxis* Medica suæ *certitudini* & *integritati* restituatur, exinde monemus, quomodo *hujus* considerationis *usus* & *utilitas* sese ad *Theoriam* & *Praxin* Medicam extendat, & quomodo illa propterea non *otiose curiosa*, neque *nude speculativa* existat: quemadmodum enim in *genere duplex* labor *ingenuo* Medico incumbit, *primo* ut *salutaria* subjecta & negotia magis magisque *confirmet*, augeat & illustret, deinde *inutilia*, otiosa & perniciosa præscindat & *avertat*, ita posteriori officio præsens nostra tractatio accensenda erit; inde enim eveniet, ut *veritas* & *certitudo* in Medicina magis stabiliatur & confirmetur: Quod enim *Theoriam* Medicam attinet, ecquis non confiteatur, quod in eadem multa *phantasmata* occurrant, quæ magno studio expurganda sunt; multa quæ interdum pro *coloranda* quadam hypothesi neque *re* neque *facto* succurrunt, ex *phantasia finguntur* & cum phantasia *pinguntur*: inde oriuntur tot *vermiculi*, tot *globuli*, tot *hamuli*, tot *ramuli*, tot *bullulæ*, tot *spiritus*, tot *cuspides*, tot *spicula*, tot *nisus*, tot *elateres*, tot *reactiones*, tot *obstructiones*, tot *nervorum consensus*, tot *spirituum seditiones* & tumultus, tot *salium* geneses, tot male applicatæ potentiæ *mechanicæ*, tot *allegoriæ*, tot chimæræ, tot phantasiæ &c. &c. &c. & quæ non *monstra* talium *speculationum* cum phantasia genitarum, passim circumvolant! quæ, cum tantas *vexas* tantaque tormenta theoriæ medicæ inferant, ea propter *cordati* & attenti medici semper inveniunt occasionem quo ab ejusmodi *inutilibus* quisquiliis Medicinam repurgent; quicunque vero *theoriam*

 medi-

medicam *parvi* pendunt & in medicina pro *superfluo* negotio æstimant, subinde non nisi *ad Praxin* omni verborum lenocinio, luxu & ostentatione provocant, illi etiam certi esse possunt, quod præsens nostra meditatio in ipsa illa *operosa Praxi* multiplicem utilitatem promittat; quantæ enim *Phantasiæ frivolæ* in *Uromantia*, *infantum*, *feminarum*, *delicatorum*, *enervatorum* &c. Therapia, in *mensium* vitiis, *febribus intermittentibus*, *remediorum numero*, *forma*, *colore*, commendatione, usu, *characterismis* &c. &c. committantur; quis est, qui inter peritos & ingenuos Practicos ignoret? & quot non *lepidæ* phantasiæ deprehenduntur in *ægroto*, quot in *medico*, sic *ludit* interdum Phantasia cum Phantasia; & quemadmodum magis ad magis additum, illud auget, ita ex *Medico* Phantasiæ *Patrono* & *ægrotante* Phantasiæ *servo* nascitur *eximia* Phantasiæ *chimæra*; & cum alias *prudens* Medicus in *quacunque* cura exercere debeat *rationale* artificium, ita potius hac via construet splendidum Phantasiarum inutilium *seminarium*: ne vero *tanta* opinionum & Phantasiarum vigeat *luxuries*, propterea meliori jure in Medicina desideratur *solidum judicium*, adeo ut in *Theoria* æque ac *Praxi* Medicus esse debeat *judiciosus*: minime tamen illi injuriam facere lubet, quasi *sterili* Phantasiæ studio addictus sit; illud tantum in consequente explicatione demonstrabimus, ubi cum *commodo* aut *damno* in Medicina Phantasia exerceri queat: quicunque vero hos scopulos evitare gestit, quo a sterili Phantasiæ studio liber & salvus maneat, ille *credulitatem* & *superstitionem* medicam fugiat, neque tam facile & promiscue *singulis physicis* persuasionibus fidem det, multo minus immaturæ & *præmaturæ* applicationi *experimentorum physicorum* & *chymicorum* ad corpus animale *vivum* operam impendat, sed omnia prius *exacte* ponderet, *comparet* & denique dijudicet: omnium maxime vero observare convenit, ubi *multum splendoris* coloris &

honoris

honoris est in medicina, ibi enim *multum phantasiæ* latet: opus laudat artificem! *veritas* non indiget *rhetore* & *patrono*; quo *simplicior* est hæc veritas eo *sincerior* existit: attamen hæc simplicitas *discernenda* est, a *vulgari opinione*, credulitate & superstitione *plebis*: has *genericas* & paucas regulas si observaverit medicus, facilius a *sterili* phantasiæ exercitio immunis manebit: alias vero sub *promiscua* Medicinæ tractatione illud lemma valet, quod alia & communi enunciatione proponitur, quod mundus *opinionibus* regatur, nos vero ab *universali* ad *particulare* transeuntes, dicimus & facili negotio probabimus, quod *Medicina* multis modis regatur *opinionibus* & *phantasiis* & hisce quidem plus *inutilibus*, quam necessariis & *fructuosis*.

§. III.

Accedimus nunc ad *specialem* thematis nostri tractationem & enarrabimus *quædam specimina* usus, lusus & abusus Phantasiæ in Medicina & quidem *primo* loco nonnulla ad *Theoriam* medicam pertinentia perlustrabimus: vulgo Medicus salutatur *Minister Naturæ*, quantæ vero ac quot *Phantasiæ* de *Natura* in schola medica vigeant, facile liquet: est itaque *lusus* Phantasiæ, quando certus *Archeus* supponitur, cui *Naturæ vices* demandantur; per hunc certus motor & *director functionum vitalium* intelligitur, qui juxta sententiam *Helmontii* μετὰ πολλῆς φαντασίας cum multis qualitatibus instructus creditur: & *hanc opinionem lusum* Phantasiæ esse dicimus, quia hic *Archeus reale* quoddam principium *activum* denotat, quod negotiis ad *vitam*, *sanitatem* & reliquam *corporis tutelam* spectantibus præsidet & sub hoc *ficto* nomine indicatur: perinde *Lusus Phantasiæ* est, quando *tot* naturæ, aut *principia* actionum supponuntur & finguntur, *quot partes* principales & *functiones* eminentes in *œconomia animali* occurrunt, ubi alius motor in *corde*, alius in *cerebro*, alter in *ventriculo* &c. dominari asseritur: *insignis*

lusus & abusus phantasiæ committitur cum famosis illis *spiritibus* sive *liquido nerveo*, quibus ex *analogia* summæ *mobilitatis*, quæ in *æthere* deprehenditur, talis ætherea qualitas affingitur: neque hoc tantum, sed per *eundem abusum* phantasiæ *multiplicantur entia* præter *necessitatem* & in varias *sectiones*, *turmas*, *legiones*, *cohortes* dispescuntur, adeoque nonnulli *vitales*, alii *naturales*, quidam *animales*, alteri *genitales* nuncupantur, quibus dirigendis *anima rationalis*, tanquam *dux* aut legatus præponitur, cujus mandatum exequi tenentur: iisdem spiritibus affingitur *vis motrix*, commercium cum *anima* & *obsequium* erga animam, certus gradus *notitiæ*, *influxus* intra nervos, *inflatio* partium *musculosarum* & connexa actio locomotiva sive *voluntaria*: inde ex ludicra *phantasia finguntur*, pinguntur & supponuntur tot *vesiculæ* in partibus *carnosis*, quas illi spiritus sub *influxu distendere* & talem motum perficere traduntur: quo illud *experimentum anglicanum* pertinet, cujus reminiscuntur *Borellus de Motu Animalium* & *Sturmius in Colleg. curios. Part. 2. tentam. XI.* sub titulo *de nova quadam potentia mechanica musculorum actiones stupendas in corpore animali egregie illustrante & oculis ipsis quodammodo demonstrante*: & quis enarret singulas illas phantasias, quæ in hac *comœdia* cum *spiritibus* luduntur, ubi mox *lucidi*, mox *tenebricosi*, modo *influi*, modo *insiti*, hic *tristes*, illic *hilares*, nunc *rotundi*, iterum *angulares*, jam *peregrini* & *sylvestres*, alibi *terrestres*, mox *humidi*, iterum *sicci*, nunc ex *astrorum* influentia provenientes, deinde *alimentosi*, modo *radiantes*, alibi *obscuri*, partim *nobiles*, partim *ignobiles*, finguntur: quantæ porro non passim committuntur *phantasiæ*, quando horum *spirituum actiones* explicantur, nunc *rident*, nunc *vident*, nunc *olent*, nunc *dolent*, nunc *audiunt*, nunc *gaudeunt*, nunc *gustant*, *sentiunt*, *ideas* formant, ideas communicant, ideas intra cerebrum transvehunt, velut formicæ sua ovula, nunc *cum anima*

consa-

confabulantur, nunc ipſius *mandata* exequuntur &c. quales *ridiculas* & cum multa *phantaſia coloratas* theorias fuſius & cum multo ſtudio propoſuit *Wirdigius in nova Medicina ſpirituum curioſa :* adeo ut in hac theoria nullus *ſincerus uſus*, rectius vero *multus luſus* & *magnus abuſus* committatur: propterea *veritati* medicæ conſulitur, quando *lepidæ* tales phantaſiæ e *theoria* medica *eliminantur*; prodit etiam adhuc *inutilem* phantaſiam, quando hæc *non entia* pro *cauſa* motuum *vitalium principaliori*, ex incongrua *analogia* & allegoria ab *æthere* deſumpta, aſſervantur & ſupponuntur: ſi itaque *non entium nulla* ſunt *prædicata*, ita theoria de *ſpiritibus* prodit ſtudium & Patrocinium *Phantaſiæ:* ſimiliter *abuſus phantaſiæ* eſt, quando juxta *Peripateticorum* mentem, *triplex anima* fingitur, ubi *una ſingulis* officiis ſubeundis & adminiſtrandis ſatisfacit; ut propterea *ſupervacaneum* ſit, *vegetativam* & *ſenſitivam* animam propterea ſupponere, quia *ſenſus* & *vegetatio* non ſunt *ratio*, hinc pro *diverſo actu*, *diverſum principium* conſtituere, *phantaſiæ* fœtus eſt.

§. IV.

Quando in *Theoria medica* aſſeritur, quod *anima* hominis *rationalis* illud principium ſit, quod vulgo *Natura* audit & alibi *Archeus* vocatur, tunc vulgo illa *præceps objectio* occurrit, quaſi nemo *concipere*, i. e. cum *phantaſia* comprehendere poſſit, *quomodo* anima *in corpus* operetur, *quomodo immateriale afficiat materiale :* exinde facile liquet, quam præceps ſit lapſus & refugium ad *phantaſiam* : exinde vero etiam mox ille *cardinalis* error inclareſcit, quaſi nulla res pro *vera* ſit habenda, quæ non cum *phantaſia* comprehendatur: inde etiam contingit, ut ad *diſtinctum* & perſpicuum conceptum formandum, interdum variæ *lepidæ* & *ridiculæ phantaſiæ* colligantur & applicentur, proinde etiam *veritas* medica magis *opprimatur*; in præſenti enim conſi-

 deratio-

deratione innotescit etiam *alter* ille *catholicus* error, quasi *nulla* detur *motuum propagatio* nisi *per materias*, interveniente *contactu physico*, ob id etiam nonnulli *animæ* hanc capacitatem denegant, quod corpus movere valeat, quia *hoc contingere* non potest: quo vero *dubitantium phantasiæ* subveniamus, habet etiam in hoc negotio *phantasia aliqualem* usum: quod enim *anima corpus* aut materiam movere possit, testantur *quotidiana* phænomena tam motuum *voluntariorum*, quam *patheticarum* commotionum *corpus* varie alterantium: cui etiam placuerit in hisce phænomenis ad *spiritus* confugere, tanquam ad spurium illum *phantasiæ* fœtum, illi sciant, quod dum *anima spiritus* movet, insuper *capacitate* illa polleat, qua in *materiam* operari potest: salvo itaque hoc asserto, proinde sciendum est, quod *effluxus motuum* ex *anima* & *ingressus* illorum *in corpus* minime cum *phantasia* comprehendi possit, interim in eo *aliqualem* usum habet phantasia, quando concipere possumus, *quomodo anima* cum effectu *constrictorio* & *relaxatorio* in partibus *nervosis*, fibrosis & membranaceis functiones *vitales* administret, quomodo sub effectu *constrictorio* partes *fluidas* per *solidas* transprimat & quomodo *relatio* harum *partium* ad *se invicem* tali indicato *constrictorio* & relaxatorio effectu nitatur, de qua re pluribus conferatur *D. D. Præsidis tract. de Anima Part. 2.* Lusus vero Phantasiæ est, quando de hac *anima* pro *vero* ac *certo* asseritur, quod in *diversis* cerebri locis & cameris diversas *operationes* mentis exerceat, quasi in *postica* cerebri regione ipsa *memoriæ* functionem administret, in *medio* cerebri loco *judicium* formet, in *antica* parte *ingenium* sive phantasiam exerceat, in qua contemplatione multum sane *ludunt*, qui tam *certas sedes* supponunt & de eo *dubitant*, quasi non anima *in toto* cerebro has operationes exequatur; tanto magis & *lusus* & *abusus* phantasiæ committitur, quando anima in tam *arctam* sedem, velut

glan-

glandula pinealis eſt, immittitur & incarceratur, quaſi hæc ſit *centrum* cerebri, in quo neceſſario anima *eſſentialiter* reſidere debeat: *uſus* contra & exercitium *phantaſiæ* eſt, quando cum *ſolidis* rationibus demonſtratur, quod anima *eſſentialiter* in *cerebro* exiſtat, e quo in *reliquum corpus* motus ſuos *effundat* & reliquis partibus *communicet*: *uſus* etiam rationalis & in reliqua philoſophia *utilis phantaſiæ* eſt, quando obſervatur & indicatur, quomodo in *peculiaribus* caſibus ſeſe hæc anima & *eſſentialiter* & *virtualiter dividat* tali quidem *diviſionis modo*, qualis ſuo *ſubjecto* competit: *abuſus* viciſſim *phantaſiæ* eſt, quando ex qualitatibus diviſionum *phyſicarum*, quidam diviſionem *animæ* negare & refutare non erubeſcunt, adeoque *diſcretas ideas* craſſo modo *confundunt*: licitus & *utilis uſus phantaſiæ* eſt, quando illuſtratur & ſignificatur, *quomodo* eadem anima *rationalis* in *corpore* tanquam in ergaſtulo ſuo *occluſa* ſit, quod pro *lubitu* ſuo egredi & *deſerere haud* poteſt, unde etiam liquet, quomodo in hac circumſtantia principium quoddam *incorporeum* cum ſubjecto *corporeo communem* quandam qualitatem habeat, quod videlicet *in materia* contineatur & *materialibus* terminis & limitibus circumſcribatur: perinde genuinus & *proficuus uſus* phantaſiæ eſt, quando inquiritur & demonſtratur, quomodo anima *rationalis in & cum ſuo corpore ſentiat*, quomodo talem ſenſum partim pro emolumento functionum *vitalium*, partim pro commodo *moralium* actionum adminiſtret, quando mediantibus *nervis* certus *tenſionis* gradus per corpus communicatur & propagatur, è qua *alteratione* diverſa, a *variis materiis* illata, ad neceſſariam talem ſenſationem *formalis* cauſa ſuppeditatur; qua ratione hæc anima in *diſſitis* corporis locis & partibus percipit, quæ ipſi vel *grata* vel *adverſa* ſunt; ad quam conſiderationem ſpectat illa in *Theoria medica* utilis & rationalis com-

menda-

mendatio *ſenſus vitalis*, quo natura *ſubtiliter* in corpore percipit, quæ *fructuoſa* & *pernicioſa* ſunt.

§. V.

Ad ejusmodi eximios *Phantaſiæ luſus*, contribuit conciliatio & applicatio *Microſcopiorum* ad *internum* corporis animalis ſcrutinium; etenim dum animus ſibi *mira* promittit quando Microſcopia in uſum trahuntur, ita ſæpe contingit, ut *ante* inſtitutam talem indagationem *phantaſia illas* ideas afferat, *quas deinde* per microſcopium *detectas* fingit & credit, hinc caput antea cum ejusmodi *ſpectris* & *phantaſmatibus* oppletum eſt, quæ cum microſcopio inquirere & invenire ſperat: ſicut illi qui *ſpiritus* ſupponunt & contumaciter defendunt, quando cum *microſcopio* tales ſpiritus detegere volunt, mox tales *inveniſſe* gloriantur, quando vel exiliſſimam aliam materiam conſpexerunt: tales ex eadem phantaſia meros ſpiritus obſervant, æque occæcati, ac ſi quis cum nudo oculo ſolem intuetur & deinde quorſum oculum dirigit, ſemper diſcum ſolarem conſpicit: tam *lepida* & petulans enim eſt *phantaſia*, ut facile ſibi quicquam *præfiguret*, quod tamen *realiter deficit*, unde in venacula dicitur, man könne ſich leicht etwas einbilden; was nicht iſt/ muß man ſich einbilden: tam multifarius eſt *phantaſiæ luſus*: *abuſus & luſus* phantaſiæ eſt, quando cum iisdem *microſcopiis* inquiruntur *figuræ* exiliſſimarum molecularum in *maſſa ſanguinea* oberrantium, an ſint *triangulares*, an *quadrangulares* an alterius figuræ: *luſus phantaſiæ* eſt, quando *pilorum* & *pororum* qualitates cum microſcopio inveſtigantur, quæ indagatio licet quidem *vera* eſſe poſſit, tamen *neceſſaria* utilitate *deſtituitur*, ut adhibita induſtria & curioſitas, præter nudam *ſcientiam nihil* emolumenti promittat; quo *curioſius* enim veritas proponitur, eo certius illius *ſimplicitas* & *ſinceritas* pervertitur: *luſus* & *abuſus phantaſiæ* eſt, quando eadem

eadem *microſcopia* applicantur ad conſpiciendos & detegendos *vermiculos* in *ſanguine* & *ſemine*, ubi adhuc tam inſignis *diſſenſus* inter *phantaſias* occurrit, ut unus *caudam* pro *capite* declaret, alter *contrariam* ſententiam defendat; inde oriuntur *tot vermiculi capitati, caudati, oculati, hirſuti, polypedes, melampi* &c. in qua ſententia *ridicula* phantaſiæ figmenta occurrunt & uti in vernacula dicitur, man ſehe ein Kalb vor eine Kuh, eine Mauß vor einen Elephanten, eine Fliege vor ein Cameel an: ſic in hoc ſtudio *videndi* & *fingendi* contingit, ut *meri* inde ſupponantur *vermiculi*, quicquid *figuram* quandam habet: inde oritur *periodus vermium* inter philoſophos, Medicos & Medicaſtros: *quicquid* accidit, *vermibus* adſcribitur: hinc illæ *Theoriæ verminoſæ!* quæ in homine *ſeminarium vermium* ſtatuunt: quo illud applicari poteſt, quod nonnulli eloquuntur, quando cadaver definire volunt, quod ſit CAro DAta VERmibus, uti *Caſp. Sagittarius in notis ad Sulpicium* fecit: & quantus non committitur *luſus* & *luxus* cum illa *phantaſia*, quando per admirandum velut *myſterium* quidam aſſerunt, quod in *ſpermate* reperiantur vermes: quales *ſteriles* vermium inveſtigatores & *viſitatores* cum hoc invento *nihil utilitatis* producunt, niſi per eundem phantaſiæ luſum & luxum aliquam utilitatem *effingant*: neque quidem condigne ſatis demonſtrari poteſt, an æque *id*, quod per *microſcopium* conſpicitur, *ſemper talis* piſciculus, aut vermiculus ſit, an non *phantaſia* ſibi tale corpuſculum ſub ſpecie vermis *præfiguret*; tales enim faſcinationes committit phantaſias, ut *portentoſa* figmenta generet: & ſi tales vermiculi *revera* in tali liquore reperiantur, tunc adhuc *rationalis* demonſtratio deſideratur, an iidem ad illius humoris *eſſentiam* ſpectent, an vero ex *accidenti* ſuperveniant, quod *poſterius facilius* confirmari poterit: *vid. Nicolaus Andry de geneſi vermium in corpore humano*; interea talis opinio *fœtus phantaſiæ* eſt: eſt ſubinde *luſus phantaſiæ*, quando me-

 dianti-

diantibus talibus *microſcopiis* inveſtigantur *vaſa minima* & *glandulæ minutiſſimæ*, qualia inventa perinde *inutilia* ſunt, niſi quadantenus *ſuperfluam* ſcientiam anatomicam augeant & memoriam onerent: exinde iterum facile liquet, quam *otioſus* & *infructuoſus* ille labor ſit, qui talibus negotiis impenditur: porro *luſus phantaſiæ* eſt, quando cum *microſcopiis* inquiruntur corpuſcula *bulluloſa*, *excavata*, *abuſus* vero eſt, quando *finguntur radiantia*, inde enim oriuntur talia tormenta & *monſtra theoriarum*, quæ omnem *diſtinctum*, *verum* & *ſincerum* conceptum fugiunt, ut præter verba nihil realitatis remaneat, quales *intricatæ* theoriæ deinde *veritatem* magis opprimunt: denique *luſus phantaſiæ* eſt, quando *globulorum* ſanguineorum tanta inter medicos occurrit æſtimatio, quaſi illa *admiranda* ſit ſapientia, quando ſcimus, ſanguinis particulas eſſe *ſphæricas*: hinc declamantur illæ *coloratæ* theoriæ, quaſi hæc notitia multum inſerviat ad concipiendam & intelligendam *mobilitatem* ſanguinis: exinde enim ſequeretur, quod *omnium humorum* particulæ ſint globuloſæ! quaſi vero aliæ particulæ *ſubtiliores* non eadem promptitudine *moveri* queant, licet *non* ſint *rotundæ*? ſufficit, ſi *ſubtiles* ſunt: ſed quanta quæſo a *præjudiciis* libera emergit *utilitas*, ſi ſcimus ſanguinem ex ejusmodi globulis conſtare? an non hæc meditatio multis *aliis luſibus* imo *abuſibus* phantaſiæ viam ſternat, dijudicet, qui vult: *conf. Hockii Microſcopia: A. N. C. dec. 1. an. 1. obſ. 13. & in app. p. 3. & 4. an. 2. obſ. 27.*

§. VI.

Abuſum Phantaſiæ prodit, quando in *Anatomico* ſtudio ad vaſa *nondum* detecta, *mente* tamen concepta, provocatur, quotiescunque *ſententia* quædam in theoria medica aſſumitur & defenditur, quæ tamen ſolidis *rationibus* & *experimentis* deſtituta eſt, in quo *defectu* nonnulli talia *fingunt* & per ſubſidium *phantaſiæ* ſupponunt, quæ aliquo modo

do *colorandæ* huic ſententiæ inſervire poterunt: unde etiam illæ frivolæ *exclamationes* innoteſcunt, quod multa adhuc in rerum natura deprehendantur, quæ *nondum detecta* ſunt, adeoque ex hoc fundamento *excogitant*, quicquid in *phantaſiam* cadit: ſpecimen hujus fœtus, ex phantaſia provenientis eſt, quando ab *antiquioribus* talia vaſa excogitata ſunt, per quæ liquor ille in *ſplene* ſuppoſitus intra *ventriculum* transvehi dicitur: ſecundum *recentiores* ſermo incidit, de *vaſis* e *ventriculo* in *renes* abeuntibus & potum huc vehentibus, adeoque ſecretionem & excretionem urinæ *accelerantibus*; inſignis viciſſim phantaſiæ abuſus eſt, quando nonnulli a *particulari* ad *univerſale* concludunt & *univerſalem anaſtomoſin* ſupponunt, illa conſideratione *inducti*, quia in *nonnullis* partibus talis *mutua* vaſorum inoſculatio obſervata fuit, ergo in *omnibus* vaſis ſanguiferis eadem ad minimum *concipitur*, licet propter *teneritudinem* ſuam conſpici haud poſſit; quoniam vero ſibi hac ratione phantaſia faciliorem *circulum* ſanguinis ex *venis* in *arterias* concipit, ita etiam exiſtimat, quod ſanguis per has *inviſibiles* anaſtomoſes progredi queat: & quo hæc opinio magis *adumbretur*, producitur illud *commune* experimentum, quaſi per nonnullas arterias liquor transfuſus in proxime adjacentes venas progredi obſervetur, ergo concluditur, quod *hac ratione* ſanguis etiam progrediatur, neque tantum in *uno* & *altero* loco, ubi vaſorum ſanguiferorum *farrago* adeſt, ſed etiam in *toto* reliquo corpore: an vero tales deliberationes, *opiniones* & concluſiones non mereantur *abuſibus* phantaſiæ adſcribi, facile quisquam judicare poterit: grandis porro *luſus* imo quandoque plane *abuſus* phantaſiæ eſt, quando fabrica corporis humani *mechanica* nimis *curioſe* delineatur & ad varios *effectus vitales* applicatur: ubi quidem *minime* negamus, quod ad *diverſos* actus & effectus *vitales* ex parte *mechanica* corporis diſpoſitio contribuat &

quod in tali processu harum actionum agnoscendo & concipiendo etiam *legitimus* usus phantasiæ *non parum* utilitatis contribuat, quando vero ex *incongruis assimilationibus* præceps & incompta *applicatio* ad corpus *vivum* instituitur, tunc gravis *aliquando abusus* cum phantasia committitur: v. g. quando ex vario usu *antliarum* & *siphunculorum*, *tubulorum* & *canalium* adscensus & descensus *aquarum* demonstratur & confestim applicatio ad circulum *sanguinis* & motum *cordis* formatur, quasi in corpore humano partes & reliquæ circumstantiæ ita comparatæ sint, ac in aliis & interdum *coactis* experimentis negotium succedit; quis non credat talem esse *abusum* phantasiæ in medicina theoretica, *conf. Hambergeri disput. de DEO ex inspectione cordis investigato*, *Camerarii disp. subsidia pro arte medica ex antlia pnevmatica: A. N. C. dec. 1. an. 9. & 10. obs. 1. de statua humana circulatoria: Nicolaus a Wassenaer hist. tom. 5. ad an. 1623.* ad quales theorias ex *antiquioribus* inter alios viam monstravit *Archimedes libris de æqui ponderantibus & de humido insidentibus*, quo pertinent e *posterioribus Galilæus de Galilæis*, *Torricellus*, *Paschalius*, *Gassendus*, *Cartesius*, *Boyleus*, *Newtonius*, *Hugenius*, *Borellus* multique alii: & *Lipsius lib. 1. poliocr.* dicit: *machina græcis est* μηχανη, παρὰ τὸ μήδω, *ab inveniendo aut sapiendo*, quare nonnulli scriptores latini machinas vocarunt *ingenia* & *mechanicos* appellarunt *ingeniarios*: quo spectat, quod *Asconius Pedianus* professus est, *machina est, ubi non tam materiæ, quam ratio artis & ingenii ducitur*, & uti *Charletonius exercit. 3. de galaxia p. 42.* ait: *philosophorum mos est, cum rem ipsam uti se habeat, clare percipere nequeant, fingunt saltem modum ejus aliquem naturæ operibus consonum.*

S. VII.

Minime tamen propterea *celebrem* doctrinam *Mechanicam* contemnimus, sed tantum *prudentem* illius *applica-*

tionem

tionem desideramus & commendamus; *communis* enim ille mos, quo *speciosa* & *curiosa* quædam *experimenta* & *phænomena* promiscue & crinibus ad corporis humani *vivi* considerationem trahuntur, ad fœdos illos *phantasiæ abusus* pertinet: interim quandoque utilis phantasiæ applicatio in hoc studio valet, quando ex *simplici* indagatione *mechanicæ* fabricæ ille modus ac *processus* inquiritur, quo functiones *vitales* & *naturales* perficiuntur; etenim *citra* hanc mechanicam dispositionem æque *minus* anima humana *interna* viscera movere posset, ac in *externo* corporis systemate actuando & dirigendo delinqueret, si eadem constitutio *mechanica deficeret*: ex hac enim notitia *qualitatum mechanicarum* fluit illa *præfiguratio*, *quomodo* sanguis per *cor* moveatur, quomodo *pulmones expandantur*, quomodo sanguis sub suo *transitu* per *pulmones subtilior* reddatur, quomodo *massa* sanguinea per partes *fibrosas* mediante motu *tonico* transpressa & *fluidior* & *floridior* evadat, quomodo *moleculæ* sanguinis & *progressivo* & *intestino* motu agitatæ, ad *se invicem* allidant, inter fibrillas conterantur, interdum etiam divellantur, in *subtiliores* partes dividantur, *dissolvantur*, in *serum* convertantur, quomodo tales *subtiliores* particulæ alias *crassiores* & mixtas adhuc sanguinis moleculas invadant, ingrediantur & sub *motu* continuante etiam *diffindantur*, quomodo tali ratione *abundantia* sanguinis *minuatur*, sed *major seri* copia generetur, quod cum copiosiori *diaphoresi* & *diuresi* excernitur, quod *utramque* talem excretionem reddit magis *olidam*, magis tingentem & *saturatam*; quomodo præsentibus talibus *subtilibus* substantiis in massa sanguinis motus *intestinus* succedat, quomodo iterum aliæ *pingues* & *terreæ* moleculæ conjungantur & hac *mixtione sanguinis* moleculam forment & constituant: quomodo *sanguis* efficacius *impulsus*, magis se *expandat*, majus *spatium* oppleat, partes *turgefaciat*; quomodo sanguis in

arteriis fluidior & floridior, in *venis* viciſſim *craſſior* evadat; quomodo ſub *efficaciori tranſitu* ſanguinis per partes poroſas ſive *fibroſas*, *adhærentes* materiæ *ſubtiles* pravæ ſucceſſive *abſtergantur* & ad faciliorem excretionem *præparentur*, qui actus *coctionis* in *febribus* tali modo ſuccedit; quomodo ſanguis in & per partes *diutius*, ſed *fortius transpreſſus*, denique *fibras diſtendat*, ut *atonia* ſive *laxitas* fibrarum conſequatur, adeoque *torpor* corporis & *delaſſatoria* moleſtia in membris percipiatur, teſtimonio plethoricorum; quomodo ſanguis *refluus* per *venas* proprimatur ne *retrolabatur*; quomodo *valvulæ* in venis hunc *relapſum* præoccupent; quomodo ſub *efficaciori* partium *carnoſarum*, tunicacearum & cutanearum conſtrictione *venæ comprimantur*, ut ſanguis in illis *evaneſcat* & venæ concidant: quomodo ſecundum *fabricam cordis*, *valvularum*, ſitum *arteriarum* & *venarum* concipiendus ſit *circulus ſanguinis*, quomodo *progreſſus* ſanguinis per *Venam Portæ* ea propter *difficilior* ſit, quoniam ex *multis* ramis in *brevem* illius venæ truncum *copioſus* ſanguis *ſimul* confluat; quomodo ſecundum *fabricam ventriculi* cibi *ingerantur*, ingeſti *digerantur*, digeſti *egerantur*, egeſti ad varios *uſus* congerantur & deſtinentur; quomodo ſub motu *fermentativo* in ventriculo & inteſtino duodeno *reſolutio* ciborum contingat; quomodo *promotio chyli* & *lymphæ* in *ſanguinem* ſuccedat; quomodo *nimius infarctus* ventriculi obruat & opprimat *diaphragma* indeque *cordis* motus & *reſpiratio* impediatur; quomodo *flatuum* geneſis eveniat, ut expirantes humiditates partes excavatas *diſtendant* & ſimul *aliarum* partium functiones *pervertant*; quomodo *regurgitationes* ſanguinis ab *una* regione in *alteram* fiant: quomodo *primis viis* conſtrictis ſanguis magis in *ſuperiores* partes regurgitet; quomodo ſanguine in *inferiores* regiones provocato & *invitato*, deinde *ſuperiorum* regionum afflictio minuatur: quomodo in multis caſibus negotium

gotium cum *conſenſu motuum* & *partium* conſtitutum ſit; quomodo ob *minorem* ſanguinis *motum* & *inſufficientem* corporis internam *humectationem* & *fluidæ* & *ſolidæ* partes *exareſcant* & *immobiliores* reddantur; quomodo ſub inſolita *alvi obſtructione* multæ *impuritates* in *maſſam ſanguineam* reſorbeantur, adeoque ſucceſſive *cacochymia* generetur; hiſce & pluribus aliis *ſpeciminibus* jam indicavimus in quantum *phantaſia* ex *notitia* corporis *mechanica* ita *fructuoſe* exerceri & applicari queat, ut theoriæ medicæ *veritas* & *certitudo* promoveatur.

§. VIII.

Quamvis hucusque varia ſpecimina *uſus*, *luſus* & *abuſus phantaſiæ* in *medicina theoretica* propoſuerimus, tamen pauca adhuc præcedentibus conſiderationibus annectere lubet: quid *Chymia* contribuat, ad evolutionem diverſarum *cauſarum* & formandum conceptum de variis rerum *mutationibus*, ipſe uſus ingenuus docet; ubi ipſa *phantaſia* ſe exercet, quo nonnulla phænomena *clarius* comprehendere queat & ſpectat huc *exacta* notitia *combinationis* & *diſſolutionis* ſive *ſyncriſeos* & *diacriſeos*, debita cognitio *relationis* materiarum ad ſe invicem: exinde fluit *præfiguratio* de *genealogia ſalium* in corpore humano, de proceſſu *fermentationis* & *putrefactionis*, de ſpecialiſſima *conſervatione* corporis *mixti*, de habitu *mixtorum* & *aggregatorum* ad *motum*, de principii *ſulphurei activitate* ad *deſtruendum* corpus, de *aquei* principii *relatione* ad inſerendum *damnum* & *commodum*, de *caloris* efficacia in actu *combinationis* & *deſtructionis*, de actione ſubjectorum *ſalinorum* & *ſulphureorum* in partes corporis *fluidas* & *ſolidas*, de *relatione pinguium* materiarum ad diverſa *ſalia*, de *fermentativa* alteratione corporum *mixtorum ſalinorum*, *ſulphureorum* & *pinguium*, de capacitate ſubjectorum valde *ſubtilium* ad *diſſolutionem* aliorum corporum mixtorum &c. quæ ſingulæ ſcientiæ *chymicæ* adeo *ad-*

juvant

juvant theoriam medicam, quo *conditio alterationum*, in corpore *vivo* obviarum, paulo *clarius* concipi *præfigurari* & explicari queat; ubi tamen iterum cavendum eſt, ne hic *uſus* in *abuſum* convertatur & *omnes* proceſſus in *chymia* obvii, minus *appoſite* ad corpus vivum applicentur: *luſus phantaſiæ* eſt, quando ex *uno* & *altero* effectu, mox *frequentia morbidæ* cujusdam afflictionis urgetur, v. g. quoniam *interdum obſtructiones* & incarcerationes *ſanguinis* in partibus *fibroſis, cribroſis* & *vaſculoſis* contingunt, hinc obſtructionis accuſatio tam *frequens* in ſchola medica eſt, quæ tamen ſua *actuali* frequentia illi accuſationi *minime* reſpondet & ſane ægerrime conſtitutum eſſet corpus, ſi *tam frequenter* obſtructionibus ſubjectum eſſet, unde hæc *phantaſia* admodum claudicat, ſi conciliatur *periculoſus* obſtructionum ſtatus, cum illa *inviſibili* anaſtomoſi vaſorum, cujus in præcedentibus mentio facta ſuit, ut ex hac *imaginatione* per *neceſſitatem* quandam abſolutam ſequi deberet, ut non modo obſtructio in *omnibus* hominibus *indies* contingat, ſed & ut *numero plures* obſtructiones *ſimul* orirentur, propterea *mirum* eſſet, cur *tam diu* corpus humanum *perdurare* queat: inde porro liquet, in quas *confuſas* & *rationi* & *obſervationi* contrarias aſſertiones *talis* luſus & conſequens *abuſus* phantaſiæ ſeducere queat: *conf. Excell. D. D. Stahlii diſp. de obſtructione vaſorum ſanguiferorum:* eximius porro *abuſus* phantaſiæ eſt, quando *conſuetæ* ſecretiones ad œconomiam vitæ animalis ſpectantes adſcribuntur *figuris* pororum in *organis* colatoriis & materiarum *ſecernendarum*, nec non *convenientiæ* inter illos & has; ubi primo *ſupponuntur* certæ tales figuræ in poris & materiis, de quibus deinde aſſeritur, quod per rotundos poros ſphæricæ materiæ progrediantur, quod triangulares poros, triangulares materiæ ingrediantur & ita cum reliquis figuris; ſed cum hanc phantaſiam alibi *Celeberrimus D. D. Stahlius in programmate de paralogismo proportio-*

portionis figuræ pororum secretoriorum solide detexerit & refutaverit, sufficiat etiam illam hoc loco brevibus indicasse: *conf. Pitcarnii Elementa Medicinæ Physico-Mathematica & Craanen tr. de homine*, ubi de hac consideratione tractant; alius *lusus* phantasiæ occurrit, in ejusdem *modi secretionis* evolutione, quando ad *imitationem* specie differentis *fermentationis*, dum una *vinosa*, alia *cerevisiaria*, altera *panaria*, quædam *sacharacea* & *mellaginea* est, in corpore *varia fermenta* specifica finguntur, quorum *unum* in *hepate*, aliud in *renibus* & sic porro per reliquum corpus dispersum & divisum est, ut propterea in hepate *tales*, in alia parte *aliæ* materiæ motu tali *imaginario fermentativo* separentur: qualis *lusus*, sed insuper etiam *abusus* phantasiæ committitur, quando ex *differentia fermentorum*, *diversi morbi* supponuntur, quorum *unus hanc* materiam peccantem tanquam inutiles fæces, *alius aliam* separat & ejicit: non minor *lusus* & *abusus* phantasiæ committitur in indagatione *materiarum morbificarum*, dum nonnulli illis *certas figuras*, cuspides, aculeos, uncos, alii certos *sapores* & potentias stimulantes imputant, quidam *fixas*, alii *volatiles*, aliqui *acidas* nonnulli *alcalinas* &c. esse reputant; in quo scrutinio vero *plurimum* inutilis phantasia occurrit, quando adeo *operose* in talem *incertam* evolutionem materiæ *peccantis* inquirunt & tamen cum *omni* tali theoria semper in *dubio* hærent; *talis* enim indagatio potius *impedit* veritatem & *certitudinem* medicam, variisque *contrarietatibus* obnoxia est; neque quidem *hæc* investigatio materiæ *morbosæ*, adeo promiscue instituta, ullum *solidum* subsidium affert, quo meliori ac *certiori* successu in *therapia* medica *morbis* illis *subjugandis* satisfacere queamus: Quantus *lusus* & *abusus* Phantasiæ in arte *Prognostica* passim obtingat, vel titulo ad minimum hoc loco notare placet; inter alia vero talia specimina provocamus ad illam effœminatam observationem, quando nonnulli ex *Albumasare in principio introductorii* & *Avicenna fen. 21. lib. 3. tr. 1. c. 17.* ex funicu-

niculo umbilicali hariolari volunt, an futura conceptio masculum an feminam promittat, dum nodi rotundi aut (prout *Spigelius de formato fœtu c. 9.* eandem fabulam carpit) ruffi, masculos, oblongi vero aut albi fœminas, defectus vero nodorum in eodem funiculo umbilicali plenariam sterilitatem futuram significare debent; quales abusus Phantasiæ etiam admodum reprehendit *Villalpandus lib. 1. magiæ divinat. c. 24. conf. Casp. Rejes Camp. Elys. qu. juc. qu. 52. an ex nodis seu tuberculis vasorum umbilicalium possint obstetrices prædicere filios, quos postea mulier paritura est*: Et quis quæso enarret *singulas* illas phantasias, quæ sicut in omni *scientiarum* & *artium* foro, ita etiam in *Medicina* occurrunt: placuit tantum hisce pagellis velut in *specimine* nonnulla exempla *usus*, *lusus* & *abusus phantasiæ* in *theoria* medica proponere & ad ulteriorem hujus considerationis enucleationem ansam præbere.

§. IX.

Nunc in ordine nonnulla *Specimina* ejusdem *usus*, *lusus* & *abusus Phantasiæ* in *Medicina Practica* allegabimus, quo thematis præsentis utilitas in foro *Practico* etiam inclarescat: vulgo à Medico desideratur, quo *medicamentorum* modum *operandi* intelligat, neque quidem hanc notitiam spernimus, modo *inutiles imaginationes* & conceptus vitentur: etenim *remedia* habent aliquam *actionem* in *corpus* substratum, quæ tamen ab effectu *medicamentoso* probe distinguenda est, uti hanc animadversionem *D. D. Præses* fusius explicavit in *tract. de medicamentorum modo operandi in corpore vivo:* usurpatur itaque *phantasia* cum *emolumento* scientiæ, quando inquiritur, *quomodo* vomitoria, purgantia, diaphoretica, diuretica, adstringentia, rubefacientia, emollientia, incidentia, abstergentia &c. operentur in partes *fluidas* & *solidas*, quomodo *motus* provocent, quomodo *materiam* afficiant, quomodo *sensum* excitent, quæ sit actio *medicamentorum* in *corpus*, quæ sit reciproca actio *animæ* in

medica-

medicamenta, in hiſce contemplationibus multum & cum *fructu* ſe exercere poteſt *phantaſia*: interim etiam in eadem diſquiſitione multus *luxus*, *luſus* & *abuſus* cum phantaſia exercetur, quando iterum variæ *figuræ* in particulis ſupponuntur, quando varia *fermenta* & *efferveſcentiæ* ſtatuuntur, quando *ſpirituum* influxus in conſenſum ducitur, quando diverſæ *vires motrices* excogitantur, quando multiplices *niſus* & *reactiones* in *materiis* accuſantur, quando *incogniti archei* concurſus ſatis obſcurus allegatur &c. quæ ſingulæ ſpeculationes ſatis ſæpe ad eximios *abuſus* phantaſiæ diſponunt: & heu! quanti tales abuſus occurrunt in *Uroſcopia*, ut propterea hoc artificium ex *urina præſagiendi* in contemtum tractum ſit: quantas *phantaſias* interdum *chymici* cum *urina* committant, multa exempla comprobant; quidam certa *ſalia*, alii certa *ſulphura* inquirunt, nonnulli *vermiculos* cum microſcopio inveſtigare contendunt, aliqui *catellos* in urina obſervaſſe affirmant & quidem in urina *hydrophoborum*, quam phantaſiam *Avicenna fen. 64. tract. 4. c. 7. Abenzoar. lib. 1. Theiſir. tr. 9. c. 6. Nicolus Florentinus Serm. 4. tr. 4. c. 15.* proponunt, *conf. Caſp. Rejeſius Camp. Elyſ. qu. 62. Zac. Luſ. M. P. H. lib. 5. hiſt. 14. Sennertus Inſtitut. lib. 2. part. 3. Sect. 2. cap. 4.* quales aliàs *abuſus* phantaſiæ in *Uroſcopia* occurrant, indicarunt *Foreſtus de incerto ac fallaci urinarum judicio*, *A Caſtro in Medico Politico lib. 3. c. 11. Caſp. Rejes. l. c. qu. 49. Savanarola lib. de urinis c. 1. Bohnius de offic. med. duplic. Part. 1. c. 8. Fuchſius inſtitut. med. lib. 4. Sect. 3. c. 1.* ubi elegans epicriſis, quam *Rejeſius l. c. n. 29.* allegat, continetur; *A. N. C. Dec. 2. an. 4. obſ. 96. Robertus de Fluctibus de divinatione per urinam:* quo loco placet commendati *Rejeſii* locum recenſere, qui in *qu. 49. n. 28. p. 618.* ubi illam quæſtionem ventilat, an ex urina ingravidatio prædicari poteſt, diſſerit: *quæ ſi non meræ nugæ, inutilis certæ & evanidæ arrogantiæ chimæræ ſunt, quæ ſomniatoribus agyrtis magis conducunt,*

 dum

dum stultum populum ex lotio quidvis ariolantes in admirationem trahere & emungere student; ni malis logiatros etiam quosdam medicos, ut feminis prolem anxie desiderantibus complaceant, futili hoc mendaciolo illas in optatam spem erigere, ut adapertis marsupiis liberalius tantæ felicitatis augures remunerentur: Utitur vero etiam Medicus in *Praxi* Phantasia *ægrotantis* & quidem congrue & *fructuose*, quando huic ad desiderium suum morbum ita describit, ut de eodem *perspicuum* impetret conceptum, ne *falsa imaginatione* morbum sibi deteriorem & *periculosiorem præfiguret*, neve ultro *animo* valde *ægrotare* & afflictus esse debeat, id vero fiat sine *otiosa* loquacitate: Medicus enim *loquax* alter aut *novus* est *morbus*: juxta versiculum *Menandri*: *Medicus loquutor, morbus ægrotis novus*; neque ægrotantibus morbus ex *Philosophia Cartesiana* describendus est, *conf. Lentilius Jatromnematibus p. 591.* quare prudens artifex in omni casu ita *ægrotantis* phantasiam *tranquillare* debet, ne illa reliquam *salutarem* medendi methodum *turbet* & offendat: interdum enim aliqua ex parte patientes in *animo quietiores* evadunt, si morbi sui *indolem* intelligunt, hæcque in corpore suo *experiuntur*, quæ medicus de eodem prædicat, inde in *animo eriguntur*, dum *certi* redditi sunt, quod artifex hunc morbum *exacte* cognoscat: quando vero patientes in *phantasia* sua *dubii* & *anxii* manent, tunc semper decursum morbi sibi *deteriorem* præsentant, fingunt, metuunt & eo ipso etiam deteriorem *reddunt*: minime vero propterea decet phantasia ægrotantis *abuti* & illam in *periculosis* morbis adeo *corrumpere*, ut *gravitas* morbi magis *accrescat* & increbescat: haud enim consultum est, vel nimis *timidum* & *anxium*, vel nimis *securum* reddere patientem; ad utrumque & *medici* & *ægrotantis phantasia* contribuit, quare utriusque *justa* applicatio & *directio* commendanda est.

§. X.

§. X.

Ludunt insuper nonnulli & *abusum* committunt cum *sua* & *ægrotantis phantasia*, quando posthabita *vera* morbi indagatione, quoad *causam* suam *genuinam* & subjecti *qualitates*, mox *cordis* præservatio suscipitur & promittitur, man wolle das Hertz verwahren / oder stärcken: dum enim vulgo *cor* pro *principalissima* parte æstimatur, ita facile sibi homines persuadent, quasi res optime gesta & tractata sit, quando *corroboratio* tentatur; sub hac enim imaginatione & persuasione interdum *optimum* negotium *negligitur*, ut dehinc *causa* morbi adeo *accrescat*, ut cor etiamsi *robustum* redditum sit, pro illa *expellenda* haud valeat: quare illi, qui tam multam spem in cordis roborationem collocant, multum etiam *phantasiæ* inserviunt: idem lusus & abusus est, quando *sanguinis refrigerationi* & *edulcorationi* quidam adeo strenuam operam dant, ut hanc *principalem* indicationem medendi methodi esse sibi persuadeant: man müsse das Geblüt anfrischen und versüssen: dum enim sanguis valde *æstuosus* & *acris* multis *morbidis* effectibus concitandis quadrat, ita facile *creduli* & *phantasiæ* inhærentes patientes huic persuasioni medici annuunt; hinc *populus* jam per talem phantasiam ita *corruptus* & occæcatus est, ut nil nisi talia adminicula a medico diffideret: idem valet de sanguinis *spirituascentia* concilianda; nam cum *spirituum* vox in phantasia medicorum & ægrotorum admodum *venerabilis* sit, ita ad talem obscuram & *metaphysicam* confugiunt spirituascentiam; quemadmodum ipsa spirituum doctrina medica fœtus *corruptæ* phantasiæ est & si *spirituosa* remedia ad hanc spirituascentiam conciliandam applicantur, tunc illorum effectus, *vere medicus*, longe alius est, si *phantasiæ* titulos vitamus, ac quidem sanguinem spirituosum reddere debet: valet interim in hoc conatu medico magna & vana phantasia; similem censuram meretur, quando nonnulli medici ad *mumiales balsamicas* virtutes provocant & male propter-

ea concludunt a *balſamica* qualitate *mumiarum* ad *corporis* adhuc *vivi* durationem promovendam ; *alia* enim balſamatio competit *cadaveri*, alia corpori *vivo:* indulgendum quidem interdum eſt *phantaſiæ ægrotantis* cum *ſalutari* ſucceſſu, quando ille talia *confortantia*, *nervina*, *corroborantia* ſerioſe poſtulat, tunc artifex nonnunquam ſub hac phantaſiæ cura, finem illum impetrat, ut magis magisque *reficiantur* patientes, cum ipſorum *deſiderio* ſatis fecerit medicus: *ridicula* omnino phantaſia eſt, quando ad *præcordia* ſive regionem cordis externam talia *cordialia* aut plane fruſtula panni ſcarlatino colore tincti figuram cordis æmulantia applicantur, ſub illa perſuaſione & *imaginatione*, quaſi eo melius inde *roboretur cor*, ſiquidem *intrinſecus* deliteſcens cor, *parum* de tali remedio cordiali *ſentit* & ſi quæ roboratio etiam *conſequi* videatur, illa vel ex *phantaſia* nata, vel per *odorem* ſuaveolentis remedii cordialis adhibiti provocata eſt, quod etiam valet de illis pulvillis, qui *pulſibus* apponi ſolent ; ſub quo artificio multa phantaſia latet, in quo negotio interdum medici *phantaſiæ ægrotantium* obtemperare debent; licet enim hæc remedia, *odori* grata, ipſis pulſibus nullam notato dignam utilitatem afferant, attamen dum *odorem reficiunt*, ſimul *aliquem* nervinum aut *roborantem* effectum poſt ſe relinquunt: Phantaſiæ interdum *legitimus uſus* conceditur, quando prudens artifex ſibi *bonam fiduciam* in ægrotante acquirit; ubi *accepta* & amabili *converſatione* & officioſitate eidem ſuccurrit, ipſius *animum* cum temperata & tranquilla *ſpe* erigit, quantum fieri poteſt ipſius voluntati & *beneplacito* auſcultat; *abuſus* contra cum phantaſia committitur, quando cum *effœminata* officioſitate & garrulitate, *novitatum* commemoratione, *acceleratæ* ſanitatis promiſſione & ſimilibus actionibus ſibi talem fiduciam comparare ſtudet: quid quod *ludunt* & *abuſum* cum phantaſia committunt, qui garrulis *mulierculis placere* earundemque *favorem* & *commendationem* acquirere geſtiunt:

unt: illi enim medici has lepidas mulierculas mediante *phantaſia captant*, & hæ illos iterum cum multa phantaſia commendant: *conf. Bohnius de offic. med. dupl. Part. 1. c. 4.* quin ipſi etiam multum *ludicræ* phantaſiæ ſerviunt, qui cum *odoramentis* ægrotantibus *adverſis* ſe jungunt, ein Medicus ſoll nicht nach Artzeneyen riechen / varii enim homines inde in *deteriorem* ſtatum delabuntur, unde facile quisquam ex *odore*, quod *medicus* ſit, *dijudicari* poteſt; dum enim cum *ſuaveolentibus* ſe commendare vult, male diſtinguit inter *ſanum* & *ægrotum*, ſiquidem *priores melius* ejusmodi odores perferre poſſunt; quare varia inter obſervatores occurrunt exempla, quomodo tali modo inuncti medici diverſos *ſiniſtros* effectus hac ſua *adverſa* expiratione excitarint; quare *Hippocrates* quidem a medico deſiderat, quod *gratum* odorem ſpirare debeat, haud vero *adverſum* & *ſuſpectum*: quæ conſideratio illos etiam attinet, qui inſtar extracti *tabaci* fœtent.

§. XI.

Eſt porro *luſus* Phantaſiæ, quando Medici remediorum *utilitates* ex diverſis *ſignaturis* & *characteribus* arceſſunt, ubi primo in variis *herbis* per *imaginationem* varias *figuras* partibus corporis analogas ſibi *repræſentant*, deinde vi hujus phantaſiæ judicant, quia hæc herba hanc partem *præſentat*, ergo *huic* parti *mederi* debet, qualia falſa encomia facile per ipſam horum remediorum applicationem produnt, quantum in hac theoria valeat phantaſia: etenim *externa* illa aſſimilatio nondum evincit *certitudinem* horum encomiorum: Et quæſo! quot non *luſus* & *abuſus* Phantaſiæ in *Materia Medica vulgari* occurrunt, quales quadantenus recenſuit *D. D. Præſes in Diſput. de Dubiis vexatis materiæ medicæ:* paucis tantum aliqua *ſpeciminis* loco in medium proferre lubet: in titulo & claſſe remediorum *ſterilitatem* curantium heu! quantæ non *ſtupendæ* innotuerunt phantaſiæ? ibi mox teſticuli *equi*, *tauri*, *hoedi*, *galli gallinacei*

nacei commendantur, ob nullam aliam rationem, quam quia hæc animalia *laſciva* & *fœcunda* ſunt: in titulo *partum promoventium* remediorum laudatur uterus *ſuis* & *leporis*, quia hæc animalia non modo *polytoca* ſunt, ſed *facile* pariunt! in titulo *antiphthiſicorum* cum eximiis elogiis exornantur pulmones *vulpis*, quia vulpes *celeri* pede curſum ſuum proſequuntur, propterea neque *aſthmate*, neque *phthiſi* laborare dicuntur: in fonte *anticolicorum* extolluntur inteſtina *lupi*, quia hoc animal *rapax* bono & *voraci* appetitu gaudet & alimenta *craſſa* facile concoquit, quod fieri non poſſet, ſi lupus *colica* vexaretur; laudantur inteſtina *gallinæ*, quia gallinæ *lapillos* comedunt: in claſſe *ſtomachicorum* & *appetitum* provocantium commendatur interior pellicula *ventriculi galli gallinacei*, quoniam hoc animal *lapillos* ingerit: contra *icterum* laudatur lapis in *veſica fellea* bovis repertus, ſtercus *anſerum*, pellicula *flava* de pedibus gallinarum & anſerum, quia *flava* ſunt ſingula: ſub numero *antepilepticorum* reperitur *ſanguis hominis* detruncati, aut *leporis trucidati*, quoniam *anxii ſpiritus* in hoc ſanguine obvii, alteros *impetuoſos* & rebellantes in epilepticis ſubjectis coërcere & *refrænare* debent: omiſſis pluribus ejusmodi ſpeciminibus: quis vero non facile perſpiciat, quanti *abuſus phantaſiæ* in Medica Materia floreant & enutriantur: neque hoc tantum, ſed occurrunt etiam *ſimiles* luſus & abuſus phantaſiæ in *conſcriptione* & ordinatione *pilularum* ratione numeri *imperfecti*, in *formularum* præſcriptione, quibus mox hic aut ille *color* conciliatur, mox combinantur *folia auri*, mox *miraculoſæ ſubſcriptiones* annectuntur, quibus qualitatibus *medici* cum ſua phantaſia etiam *ægrotantis* phantaſiam decipiunt: porro exemplar *abuſus* cum phantaſia commiſſi eſt, quando pulveribus, Tincturis, oleis, &c. titulus *Vitæ* tribuitur, ut eo citius *credula* plebs advolet & vitam pro denario & triobolo emat: quid enim *gratius* & acceptius vita? quid commodius

us quam *unico* pulvillo *vitam deglutire* posse: *phantasiæ* ludicræ fœtus est, quando nonnulla *arcana* dispensantur, quibuscum medici promittunt morbum vel ad *salutem* vel ad *mortem* dirigere & immutare: ut constant ejusmodi *pulveres vitæ & necis*, quo *jure* vitæ & necis illi etiam superbiunt, qui in medicina *phantasiæ* student: cum ejusmodi *spuriis* remediis nonnulli illis satisfacere volunt, quibus ægrotantes *longinquiori* suo decubitu oneri sunt: insignes *ausus, lusus & abusus* cum *phantasia* exercentur, quando remedia *universalia*, *Panaceæ*, Mittel die vor alles helffen sollen/ divulgantur & declamantur: laborant illi *phantasia*, qui talia remedia sub hoc titulo *distribuunt*, dum *credulos* homines decipiunt, illorumque crumenas mulgent & sub hac *persuasione* eosdem capiunt: quid enim *compendiosius* est, quam in *unica* specie remedii *omnem* opem & medelam reperire: hinc cum eadem *cæca* phantasia interdum ad talem sterilem panaceam præcipites ruunt & quicquid subsidii inde non ex imaginatione impetrarunt, id lepidæ suæ *phantasiæ, credulitati* & præcipitantiæ adscribere debent: & quid dicamus de remediis ex *gemmis, auro, argento* paratis de *Bezoardicis solaribus*, *lunaribus* & *auro potabili* & similibus remediis, annon *multum* in talium remediorum usu etiam lusus phantasiæ intercedat, exploratu haud difficile erit: quare jam *Scaliger Cardani subtilitates* circa *gemmarum* usum excogitatas taxat, uti similem censuram meretur *Boetius a Boot* quando tam mirifice gemmas & diversos lapides extollit: *conf. Sanctor Sanctorius Lib. 8. c. 11. Guido Patinus in not. ad tract. de Peste Nicolai:* quando enim creduli ægrotantes talibus medicis & ex *phantasia* genitis *persuasionibus* fidem dant & ex ejusmodi remediis *sanitatem* & *vitæ* firmitatem sperant, tunc sæpius illuduntur, quo valet illud *Angeli Politiani lib. 2. epist. ad Nicol. Leonicenum: doleo generis humani vicem, quod in se grassari tam diu impune tristem hanc inscitiam patiatur, atque ab his interdum vitæ spem pretio emat, unde mors certissima proficiscatur: quis enim non videat, plus esse a medico, quam a morbo periculi? siquidem & morbus alius pro alio curatur & alia pro aliis remediis afferuntur.*

§. XII. Ingens & vix excusandus *abusus* Phantasiæ in Medicina *Practica* est, quando Medici tam facile *nasutilis* muliercularum consiliis, *persuasionibus* phantasiis & *experimentis* auscultant: quemadmodum enim inter tales mulierculas *monopolium Phantasiæ* floret, ita facile ab iisdem *medici*, quando *servitiis* fœminarum se dicarunt, iterumque ab his *commendationes* expectant, *seducuntur* & decipiuntur: turget enim & scatet medicina *muliercularum* phantasiis & *phantasmatibus*: inde innotuerunt tot *fabulæ*, tot *superstitiones*, tot *credulitates*, tot obsoletæ *relationes*, tot *insomnia*, tot *spectra*, tot *apparitiones*, tot reliquiæ *historiarum* & experimentorum *Majorum, tritaviæ, ataviæ*, abaviæ, Proaviæ, aviæ, matris, quas prudens Medicus cum eximia patientia auribus excipit & cum silentio comitatur: quicunque vero ejusmodi crepundiis, *nugis* & gerris auscultant, facile in abyssum ridicularum *phantasiarum* rapiuntur: quare Poeta tales effæminatos medicos hocce alloquitur versiculo: *nulla quidem vestri tam regula firma Galeni, quam non interdum curva refellat anus*: & in hac circumstantia cum eximia cura *famæ* suæ prospicere debet *prudens* artifex, ne tam *lepidis* phantasiis feminarum, petulantia *linguæ* præditarum, aures attentas præbeat, sed potius *sanæ* & fundatæ *rationi* studeat: non minus cæcus phantasiæ *abusus* est, quando artifex ad talem influxum incogniti & omni fundamenti destituti *fati* provocat; quasi præter *divinam* benedictionem adhuc *alia* causa incognita, *activa* tamen & *humanis* functionibus *præposita* existat, quam vulgo *fortunam* vocant; inde innotuere prædicata de *fortunato medico*, qui character, quantum *solidæ* rationi conformis sit, a *Rejesio Camp. Elys. qu.* 17. fusius explicatur: nos brevibus indicavimus, quod in *hac* provocatione ad *fortunam*, multum *phantasiæ otiosæ* & sterili tribuendum sit: evidentia insuper specimina tam *usus*, quam *lusus* phantasiæ occurrunt in curatione morborum per *Sympathiam*, quando de adhibitis experimentis patientes firma & tenaci fiducia ac persuasione sanitatem deficientem sperant: inde vicissim evenit, ut, qui *tanta* phantasiæ vi non pollent, neque interdum *lepidum* quoddam experimentum pro *utili* æstimant, etiam *promissam* efficaciam medicam non experiantur: man muß sich eine Sache gut einbilden können: ita nonnunquam tales *curæ sympatheticæ* cum *subtili*, interdum vero cum *crassa* phantasia succedunt: ita etiam res comparata est cum *antipathia*, mediante qua interdum *salutares* effectus promoventur, ubi iterum accidit, ut

qui

qui de adhibito subjecto sibi non *firmam phantasiam* format, sed potius adhibitum remedium *indifferenter* tractat, neque *extreme* aversatur, illi etiam *talia* experimenta *promissam* salubritatem haud afferunt, quare *dubii* & a tali phantasia alieni eloquuntur : wer es auch glauben könte : wann mans nicht glaubt/ so hilffts nicht : quando itaque *prudentes* medici interdum pro *suo scopo*, quem intendunt, *salutari*, in patiente suo talem *firmam* phantasiam provocare possunt, illi tunc tanto *citius* hunc finem obtinent; *multum* præterea valet *applicatio* phantasiæ in cura morborum *transplantatoria*, quæ in *illis* subjectis facilius procedit, quæ tale negotium sibi *firmiter persuadent* : quæcunque vicissim *minus credula* & cum phantasia activa sunt, illis talis cura etiam non *tantum* neque tam *facile* de sperato successu quicquam promittit : in *amuletorum* usu, plurimum etiam *usui* & *lusui* phantasiæ tribuendum est, siquidem interdum *lepida* experimenta ad *medicos* effectus producendos contribuunt, ut mirari amplius haud conveniat, quomodo *vana imaginatio* tantorum effectuum causa evadat: huc spectant curationes per *carmina*, *cantus* & *verba*, in quibus plurimum etiam operatur *phantasia* cum *superstitione* conjuncta: quo pertinet illud *Rejesii qu. 22. n. 6. carmina illa & imagines prorsus sunt inefficacia, irridendique sunt illi influxus & virtutis communicatio siderum, in quibus tantam energiam cognoscit Ficinus & a nullo docto viro probari debent, quin fabulosa hæc sunt contra Dei eloquia pugnant :* spectat huc ille *abusus* phantasiæ qui cum *exorcismis* & profanis morborum *deprecationibus* committitur, im Versprechen der Kranckheiten, aut quando *verbum Dei* in talem *profanationem* ducitur, ut ad abigendos *morbos* de *collo* suspendatur, ubi valet illa parænesis *Chrysostomi super Matthæum : quidam aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant, sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur & auditur ab omnibus? cur ergo in auribus Evangelia posita nil prosunt, quomodo enim possunt circa collum suspensa servare : deinde ubi est virtus Evangelii, in figuris litterarum, an in intellectu sensuum? si in figuris bene circa collum suspendis, si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa.*

§. XIII. In *Febribus intermittentibus* quanti *abusus* cum *phantasia* circa *febrifugorum* ordinationem committantur, docet sane quotidiana observatio, ita ut vix *vetula* reperiatur, quæ non tale experimentum sciat; neque quidem denegari possunt illi effectus, qui *interdum* desiderio & *spei* respondent, qui vero ex illa *lepida phantasia* fluunt: quando etiam artifex ejusmodi experimentis auscultat, *priusquam* reliquas *therapevticas* operationes commiserit & materiam peccantem *evacuaverit*, tunc eadem cum abusus *activæ phantasiæ* macula notanda erunt: interim tamen & *sua* & *ægrotantis* phantasia *recte* utitur, quando

absente & *remota* materia febrili, *paroxysmi* tamen continuant: inde innotuerunt illæ observationes, man könne sich das Fieber wieder darmit vertreiben, womit man dasselbe sich verursachet: quæ tamen experimenta neque *sæpe*, neque *promiscue* succedunt & si etiam ad vota contingunt, tunc communiter *phantasia* nituntur: invigilet vero vicissim *prudens* artifex, ne in tali cura *acquiescat*, neve *præmature* illam admittat, neque in *excessum* illam conjiciat: quicquid enim mediante phantasia *immodice* administratur, id *pessimarum* sæpe consecutionum causa evadit: est enim *alias* phantasiæ *energia* in *motus præceps* atque *vehemens*: Quantum nonnunquam *Melancholici phantasia* laborent, docent multiplices observationes *practicæ*; in qualibus casibus etiam artifex ipsorum phantasiæ *mederi* & *ingeniosas* medendi methodos invenire & applicare debet, ubi medicus cum *legitimo* usu & lusu phantasiæ, abusui phantasiæ in patiente subvenit, qualia exempla passim recensentur à practicis, ut in *A. N. C. Dec.* 1. *an.* 3. *obs.* 49. commemoratur talis *cura stratagematica Melancholici. conf. Rejes. qu.* 12. *n.* 4. *Zac. Lusit. Prax. admir. obs.* 48. 49. *M. P. H. Lib.* 1. *hist.* 36. 37. *Tulpius obs. med. lib.* 1. *hist.* 13. 19. 50. *Bohnius de offic. med. dupl p.* 89. *Part.* 1. *c.* 4. *Poggii Facetiæ, Schenckius, Marcellus Donatus, Nierembergius* aliique: utitur subinde interdum prudens practicus phantasia *patientis*, quando hic *immoderato* quodam desiderio ad certum *medicamentum*, certam *formulam*, certum *alimentum* fertur, in quo casu medicus *quadantenus* huic desiderio auscultans exoptatum *salutarem* effectum *eo citius* impetrare potest; caveat vero *ne nimium* indulgeat ægrotanti, neve *laxiori* tali regimine magis *noceat*, quam prosit: *enormis* etiam *abusus* cum phantasia committitur, quando varii homines remedia è partibus *humani corporis* parata, plus *æstimant*, quam quidem merentur, velut *pingvedinem*, *corium*, *ossa* microcosmi; aut quando vicissim patientes *omnia* remedia hac ratione aversantur, quoniam fortassis ex *cadavere humano* parata esse sibi persuadent & uti *credula* & *superstitiosa* plebs sibi imaginatur, quasi ex cadaveribus hominum *violenta* morte & *judiciali supplicio* extinctorum desumpta sint: quales *vanas persuasiones* & *phantasias* medicus *prudenter emendare* debet, quo tanto facilius ad prosperum & *exoptatum* scopum pertingat: *ingens* etiam *abusus* phantasiæ est, quando homines *promiscue* medicamenta *chymica* vel nimium *extollunt*, vel penitus *rejiciunt* & utrumque quidem sub varia vana *persuasione*, in quo *utroque* vitio medicus *invigilare* debet, ne *salutari* sua intentione destituatur: & quid magis *abusum* phantasiæ prodit, quam si *medici* æque ac *ægrotantes* tam *sæpe* tamque *promiscue* morbos ex *fascino* natos accusare solent; sub qua *phantasia* sæpe *spissa* latet *ignorantia*; hinc morbi *complicati*, *hereditarii*, *corrupti*, *transfigurati* &

quan-

quandoque diversis medicis *incogniti*, ejusmodi *incantamentis* adscribuntur, ubi *superstitiosi* homines mox mira sibi concipiunt & ad varias occasiones cum lepida *phantasia* colludentes, provocant, unde *fascinationes* illæ ortum trahere supponuntur: inde oriuntur illæ *confusiones* inter *effectus naturales* & *supra naturæ* consuetæ vires contingentes, adeo ut *ille abusus* phantasiæ sit, quando singuli *intricati* effectus à *naturæ viribus* provenientes, inconsiderate *supranaturalibus* influxibus adscribuntur, (cujus abusus etiam reminiscitur *Clariss. D. D. Detharding* in docta & prudenti *Dissert. de Obsessione eademque Spuria*) necnon quando *alii effectus*, qui à *naturalibus* potentiis provenire non possunt, cum multa *ingenii* maceratione, vexa, nec non *lepida imaginatione*, quæ *distincti* conceptus & manifestæ demonstrationis vices tenere debet, mere *naturalibus* causis imputantur & cum *ridicula philosophia*, tanquam eximii judicii foetus explicantur, imo verius mediante *petulante phantasia* implicantur; quas fabulas propterea & *ludicræ phantasiæ* facetias homo *prudens* maximo studio evitare debet.

§. XIV. Quanti *abusus Phantasiæ* cum *moribundis* committantur docet etiam quotidiana observatio, dum interdum *agonizantibus pulvinar* subtrahitur, ut facilius & *citius* moriantur, de qua mala consuetudine *conf. Ævestalii Diss. de Pulvinari morientibus non subtrahendo*, aut quando *morientes* super *stramentum* deponuntur, aut quando *mortuis* vel *moribundis spirituosa* offeruntur, quo *spiritus animales* revocari queant, vel quando *lignum aloes* accenditur, ad explorandum an ejusmodi subjecta vere mortua sint; an non in *talibus experimentis* multa *lepida* phantasia contingat, facile judicare licet, a qua prudens medicus se & alios liberare debet: Multum porro ad morbos *exacerbandos* & *mitigandos* contribuit *usus*, *lusus* & *abusus Phantasiæ*, quando homines semper de *morbidæ* suæ afflictionis *nova invasione* aut deterioratione cogitant, jemehr man an die Kranckheiten gedencke, je schlimmer sie werden, exemplo *hypochondriacorum*, *melancholicorum*, *spleneticorum*, solitudinem amantium & sub illa miras *phantasias* de *morbo* suo formantium; ita vicissim phantasia cum *aliis negotiis* occupata ad *minuendos* morbos & dolores contribuit, testimonio *paroxysmi febrilis*, *singultus*, *Podagræ* &c. cujus utriusque observationis mentio facta fuit à *D. D. Præside in Dissertationibus de Valetudinariis Imaginariis & Therapia Imaginaria*: & quid dicamus de *anno Climacterico*, quem multi cum *horrore* expectant & ingrediuntur & cum *vitæ dispendio* subeunt; quod hic *eventus* multum cum *phantasiæ* abusu conspiret, demonstravit *Cornelius Bontekoe de non existentia anni Climacterici*: etenim dum semel *animis*, vel paullulum de *vita* & *sanitate* sua *sollicitis*, ille *metus* de hoc *fatali* anno insinuatus est, hinc *adventantem* illum admodum *expavescunt* & de *vita* sua *ambigunt*, semper vero de *necessitate*

aut

aut *promptitudine* ac discreta *proclivitate* moriendi cogitant, und gedencken sich manche darüber zu todt, quibus itaque evenit, quod hactenus phantasia sua volutarunt, quemadmodum enim *mors ex insomnio*, qualem *Hœchstetterus dec. 7. c. 1. p. 46.* describit & *mors ex imaginatione*, qualis in *A. N. C. Dec. 1. an. 2. obs. 137.* & *in app. p. 401.* enarratur, fructus *phantasiæ* est, ita multum, attamen *non penitus*, *mors* sub anno *climacterico* tali phantasiæ *abusu* nititur: hisce speciminibus abusus phantasiæ annumeramus *sinistrum* medicamentorum *usum*, qui nonnunquam tali *perversa* & *corrupta* imaginatione nititur, dum subjecta *sensibilia* & non nisi *adverse* de remediis cogitantia, utplurimum *contrarios* effectus experiuntur, adeo ut remedia, quæ *motus mitigare* debent, illos *vehementius* commoveant: contra vero aliquando evenit, ut *incongrua* medicamina *salutarium* effectuum causa evadant, quando ægrotantes de illorum *utilitate* sibi *mira* concipiunt ac *promittunt*, aut quando ex *nimia fiducia* in *medicum* omnia auxilia ab eodem provenientia sibi *infallibilia* esse imaginantur; *conf. Roder. à Castro in Medico Politico:* quid *phantasia* ad *contrahendos* morbos *malignos* quin ipsam *pestem* valeat, docent innumera testimonia; *conf. Hœchsteterus. dec. 7. c. 1. p. 47. 48. cas. 2. Bartholinus Hist. anat. Cent. 3. hist. 41. Cent. 4. hist. 76. Rejes qu. 66. p. 891. n. 16.* quicunque itaque cum *anxia* imaginatione inter ejusmodi *ægrotantes* versantur, facile à tali labe invaduntur: non minus in *teneris* animis *convulsivi* morbi aliquando cum *immoderata* phantasia concitantur, testimonio *Epilepsiæ* per *imprecationem* provocatæ: ubi contingit, ut *sensibilia* talia subjecta *horridam* talem *imprecationem* cum anxia & *inquieta* imaginatione constanter animo repetant & recoquant, tandemque in talem morbum incidant: ita ante paucos annos obtigit talis casus *D. D. Præsidi* in studioso *novitatis* avido, qui hac sua *curiositate* tractus conventicula hominum cum præsumptis agitationibus *ecstaticis* exercitatorum, visitavit, inde vero ob *miras gesticulationes* & *agitationes* illorum, in phantasia sua ita *captus* est, ut *firmiter* de illis commotionibus insolitis cogitaret & tandem noctu cum *iisdem* motibus *correptus* fuerit, qui tamen posthac hoc modo liberatus fuit, dum illius contumax phantasia iterum in *requiem* tempestivam & necessariam conversa fuit: Plura Specimina usus, lusus & abusus phantasiæ in Medicina *Practica* hoc loco proponere non placet, ne *propositos limites* transgrediamur: *viam* interim monstravimus, qua *ulterius* hæc consideratio in *utilitatem* totius Medicinæ augmentari, *illustrari* & si *meretur* etiam *emendari* poterit: Deo nunc devotas tribuimus gratias, quod ad hujus thematis commendationem & explicationem necessarias vires concedere voluerit, cui reliqua nostra conamina humillime consecramus.

○